



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 62. Disceptatio de paupertate Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A.C. 1322.

§. LXII.

Disceptatio de paupertate Christi.

*Id. n. 53.
Baluz. vit.
c. I. p. 598.*

*Sup. lib. 87.
§. 33.*

Hoc anno inter Fratres Minores disputatio de paupertate Christi vehementer incaluit hac occasione. Priore anno 1321 Narbonensis Archiepiscopus, & Joannes Belnensis Inquisitor ex Ordine Prædicatorum Narbone capi iusserant Bizoquum quendam sive Begulinum, ut ejusmodi homines tunc vocabantur. Is inter alia dicebat Christum & Apostolos nihil habuisse proprium seu privatim, seu communiter. Judicaturus illum Inquisitor in consilium adhibebat cunctos Priores, Custodes sive Guardianos, ut vocant, Professores, aliosque viros eruditos, quorum in numero erat Berengarius Talonus Lector Narbonensis cœnobii Fratrum Minorum. Inter alia puncta Inquisitor legi curavit illud de paupertate Christi & Apostolorum, ob quod Begulinum damnare volebat velut hæreticum. Frater Berengarius suam rogatus sententiam respondit hanc propositionem non esse hæreticam, sed doctrinam sanam & catholicam, præsertim cum eam Ecclesia statuerit in decretali: *Exiit, qui seminat.* Tum vero quasi hæresis defensorem Inquisitor

quisitor illico in omnium præsentia pa-
linodiam canere jubebat. Renuebat
omnino Berengarius: cumque urgeretur,
appellavit solenniter ad Summam Sedem,
& Avenionem petiit.

Sæcul. XIV.
A.C. 1322.

Comparens in senatu sacro causam
suam coram Papa proposuit jam aliunde
rem edocto. Is homine in custodiam
dato, quæstionem de paupertate Chri-
sti protulit palam: deinde litteris confi-
gnatam cunctos Præsules ac Doctores
Theologiæ in sua curia præsentes acci-
pere voluit. Et quia decretalis: *Exiit,*
qui seminat, continebat anathema latæ
sententiæ in quemlibet, qui explicare il-
lam aliter quam ad litteram, vel ad-
dere interpretationem aliquam auderet:
Papa suis Consiliariis omnem exempturus
scrupulum, inhibitionem illam ad arbi-
trium suspendit suum per litteras 26 Mar-
tii anno 1322 datas.

Extrav. Jo.
Quia non-
nunquam.
de Verb. sig.

§. LXIII.

*Perusina Fratrum Minorum
comitia.*

Dum Avenione hac de materia de-
liberatur, interea Fratres Minores
Perusiæ comitia celebrabant generalia,
N 2 quibus